

MsA
335



w

Be.

L. G. p.

INTELLIGENDA PIETATIS TESTIMONIA
SENSITIVAS MEMORIAS

VIRI
PRAENOBILISSIMI ACULISSIMI
DOCTISSIMI

IO. SALOMONIS
HENCKELII,

CONSILII
ACADEMIAE MERSEBURGENSIS, RECTORIS
DEI ET PATRIAE

ACADEMIAE MERSEBURGENSIS
PATRONOS FACTORES, AMICOS

M. BALDWINI HOFMANNI



INSTITUTIONAL TESTIMONY

THE

FRANKLIN COUNTY

OF MASSACHUSETTS

JO: SALOMONIS

BECKERLI

OF MASSACHUSETTS

JOHN BISHOP

OF MASSACHUSETTS

ADDITIONAL TESTIMONY

FRANKLIN COUNTY

BY THE COURT


OF MASSACHUSETTS

IN THE MATTER OF

L. 193,



Doc. F.K. 26.6240



AD
INTELLIGENDA PIETATIS TESTIMONIA,
SEMPITERNAE MEMORIAE,

VIRI
PRAENOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
DOCTISSIMI,

**IO. SALOMONIS
HENCKELII,**

GYMNASII,
QVOD MERSEBVRGVM ORNAT, RECTORIS
OPTIME MERITI,

DIE I NOVEMBER. A. R. S. dōbcccxxxi. BEATE DEFVNCTI,
CONSECRATA,
D. XXII. DECEMBER. POST SACRA POMERIDIANA

IN

AVDITORIO SVPERIORE

A QVIBVSDAM GYMNASII NOSTRI CIVIBVS
SOLVTA ET LIGATA DICTIONE
SOLEMNI RITV EXHIBENDA,

PATRONOS, FAVTORES, AMICOS,

QVA PAR EST,

ANIMI OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE

DECENTER INVITAT

M. BALTHASAR HOFFMANNVS,

CON-RECTOR.





primo demum de vitae suae statione decedunt, qui, dum in ipsis mortalitatis inclusi tenentur cancellis, de *Immortalitatis* grauitate toto animo cogitare, nunquam desistunt. Quo certior enim, prorsusque inuitabilis ille est terminus, quem, vt aliis in hac mundi compage rebus, ita humanae in primis vitae, Deus praesituit: eo maioris momenti res est, tempestiua futurae post mortem conditionis contemplatio. Totam hominis vitam, cum *Schola*, quae reuera est, si comparare velis, haec de *Immortalitate* doctrina, quam sedulo tractare debes, primum fere in ea locum vendicare sibi videtur; qua ponderosius nihil, nihilque sublimius vel animo facile concipi, vel ratione excogitari potest: vt pote quae, sempiterna, aut praefinit bona, aut mala minuitur. Hanc itaque disciplinam, qui indefesso, vt decet, studio sagacique industria persequitur, non potest non aeternae felicitatis duci incendique desiderio; ad quam, quomodo tandem Anima, deposita corporis fragilitate, aliquando adspirare queat, per omnem aetatem ardentissime meditatur.

Hi quidem nec ipsi, qui solius naturae vtuntur ductu, adeo ignorantiae obnubilantur tenebris, quin partem hominis nobiliorem, spiritum puta, post corporis destructionem, arbitrentur supersistere. Tantum enim abest, vt benignissimum illud Numen, quod omnibus, ne vno quidem excepto, bene cupit hominibus, hac mentem humanam plane priuauerit cognitione, vt potius, praeter reliquos sciendi modos, et hanc de futura vita notitiam, in omnium pectora diuino quasi digito insculperit; eo certe fine, vt hac duce, ad solcite quaerenda reliqua, quae ad salutem perpetuam pertinent, ex profundiore autem fonte petenda sunt, excitentur, stimulentur, impellantur. Quanta vero, in re tam ardua, humanae sit rationis oscitatio et imbecillitas, iis prae aliis nosse datum est, qui scripta veterum Philosophorum, egregia caeteroquin antiquae eruditionis monumenta, laude sua haudquaquam defraudanda, legunt releguntque; in quibus aut plane nulla, aut leuia admodum lubricaque, de *Immortalitate* animorum deprehenduntur vestigia. Perpauci eorum sunt, qui id agunt, vt aliqua cum fiducia et stabilitate, sublimi hoc de negotio differant, semperque sibi consent; quin potius continua propemodum titubatione, dubitatione, forsitan et desperatione grauissimum hoc argumentum attingant. Quandoquidem *Immortalitatem* nunc de ipso Animo, nunc de virtute atque fama tantum gestarum rerum interpretari haud verentur. Quanto autem prior mens est, ad errores in huiusmodi rebus et parandos et fouendos, ratione cum spississima caligine secumque ipsa semper colluctante: tanto maior censenda eorum est felicitas atque salus, quibus diuini Numinis clementia, praeter naturae lumen, quod exiguum est, clariorem reuelationis coelestis, in scripturae sacrae paginis comprehensae, accendit lucem; quae solis instar omnes dissipat tenebras, obscura illustrat, viamque ad Deum rite cognoscendum, religiosae colendum, et ad omnia ea, quae ad emendanda intellectus et voluntatis vitia egregie faciunt, examallum aperit atque monstrat. Haec, haec *Schola* est, in qua plenioris doctrinae, non de Animae solum *Immortalitate*, sed de corporis etiam, quod ratio penitus ignorat, post dierum consummationem, in vitam restitutione, summa cum fiducia atque fide addiscere licet.

Ex eadem hac *Schola* maxime illustri, et suam de beatorum in coelis vitam salutarem, quam quotidie secum agitabat, hauferat meditationem, *Vir de re scholastica longe meritisissimus, ipse Scholae nostrae Rector clarissimus, iam post fata desideratissimus, IOANNES SALOMO HENCKELIUS*. Quem cum e statione sua aerumnarum plena supremum verum arbiter nuper auocauit, delatumque ad beatorum aeternorum gaudiorum sedes coelestibus adiunxit coetibus; parit EIDEM *Immortalitatis* gloriam inuidere velle, nefas foret, prorsusque inhumanum. Sed eheu! iacturam sentimus, dolemus, deploramus. Recordatio tui, *senex venerabilis*, nullo tempore in pectore nostro intermoritura, quo sanctior, eo tristior nobis est. Sed fugiunt aures tuae nostros angores, lacrymaeque oculi. Vicisti, vicisti tandem insuperabiles morborum impetus, victoriaeque colligis palmas aeternum perennaturus. Iam vero de *Vita Beati senis*, eruditionis, virtutum meritumque celebritate, maxime conspicua, vt quaedam, inuestigatio licet animo, adferamus, pietatis pariter atque officii poscit ratio.

Nascendi auspicia NOSTER ipsi vrbi nostrae, et antiquitate originis et Episcoporum sede insigni, *Merseburgo* debuit, vbi Anno 1614 die XV. Septembr. in lucem est editus; *Patre vltro Viri experientissimo IOANNE ANDREA HENCKELIO*, Medicinae licentiatu, Physicoque ciuitatis episcopatusque Merseburgensis, dum in viuis esset, celeberrimo: *Matre* vero, quae sexus sui exquisitissimum et decus, et ornamentum, et exemplum fuit, ANNA DOROTHEA, e gente CELLARIANA. Prima nunc piorum Parentum cura in eo praesertim occupabatur, vt pignus istud, a Deo ipsis creditum, ita custodirent, vt ne quid vlla in re detrimenti caperet: sacro itaque regenerationis lauacro initiari filium, nomineque IOANNIS SALOMONIS insigniri, quo fas erat studio contenderunt. Quo facto, omnia ea, quae ad bonam salubremque infantis educationem faciunt, solliciti contulerunt. Tenerum in primis animum probis moribus ab

ine-

MsA 335



AV

ineunte aetate rite formati, virtutisque tramiti mature adiuuati, domi puero prima fidei christianae principia pariter ac literarum elementa instillare, et ad maiora sensim sensimque praeparare, prudenter coeperunt. Quemadmodum autem bonae indolis scintillae, ingenique igniculi haud diu, quin statim emicent, delitescere queunt: ita NOSTER in percipiendis institutionis priuatae rudimentis tantam de se spem laetis Parentibus offendebat, vt nulli iam dubitarent, quin publico discipulorum numero quantocyus adscriberetur. Propterea artes discendi cupidissimum, in *Gymnasio patrium*, fuis ante ad Deum precibus, vt coeptis adspiraret, deduxerunt, nouumque discipulum *clarissimo* M. FRIDERICO HILDEBRANDO, summa cum laude Scholae habentes eo tempore moderanti, decenter commendatum, Praeceptorum industriae tradiderunt. Quibus NOSTER iam tum in classibus inferioribus, indefessam diligentiam feuerioremque literarum fontes hauriendi cupiditatem, tam luculenter approbavit, vt omnium facile amorem sibi conciliauerit; adultior autem et aetate et studiis factus, non poterat non ipsius etiam *laudatissimi* HILDEBRANDI, ingenii aciem probe perspicentis, fauorem inire atque beneuolentiam. Quem vero, et solidissimae doctrinae et dexteritatis ergo, gratissimo semper depraeculenti animo, cuiusque memoriam non nisi singulari recoluit pietate, praestantissimus erat CHRISTOPHORVS CELLARIVS, qui tunc temporis Recloris munere in Gymnasio nostro fungebatur. Sicuti enim *Vir iste celebratissimus* scriptis suis immortalis sibi condidit monumentum: ita et apud omnes, quos et hic, et in aliis ante Lyceis, postea autem in Academia Halensi perpoliuit bonarum artium cultores, tantam consequutus est nominis famam, vt nulla aetas eius obliterata sit celebritatem. Eruditissimi huius Doctoris institutione, qui HENCKELIVM suum, ob eximios in artibus liberalibus profectus, et quod plurimos commilitonum docilitate atque solertia anteuertebat, peculiari dignabatur familiaritate, NOSTER adeo auxerat scientiarum copiam, vt bona cum laude musis patriis vale tandem dicere, *Academiamque Ienensem* cum fructu salutare posset. Hanc nouam ingressus Palastram, nouaque exercendi ingenii nactus occasionem, *Professorum publicorum*, qui ea tempestate in *Philologia, Philosophia, et Theologia* ibidem excellabant, eodem ardore, quo ante consueuerat, publica priuataque frequentauit subsellia, mentemque, scientiarum insatiabilem, indies vario doctrinarum genere mire locupletauit. Praeter reliqua, quae heic loci NOSTRO in deliciis fuerunt, id in primis, non sine voluptate, saepius recordabatur, quod vna cum *duobus Fratribus germanis*, primum quidem cum GEORGIO HENRICO, tunc Medicinae cultore, iam vero *celebratissimo eiusdem artis Doctore, Practico, nec non aulae nostrae Regiae Medico dignissimo*; post huius vero abitum, cum IOANNE FRIDERICO, nunc pariter *Medicinae Doctore, Augustissimi Regis nostri in rebus metallicis Consiliario* celebratissimo, eadem degere in Academia, eodemque vti hospitio licuerit; et quidem, quod palmarium est, tanta concordia animorumque confessione, quae in fratribus alias raro offenditur, vt diuersa corpora, vno regi spiritu viderentur. *Cursum* tandem, quem vocant, *Academico*, post *septennium* laudabiliter confecto, egregiis cumulatus studiis, penates repetiit NOSTER, dignam artibus suis prouinciam, a diuina prouidentia expectaturus. Oblata post aliquod temporis intervalum, opportuna aliis inferuendi occasione, *Sorauianum*, quod haud ignobile in Lusatia inferiore oppidum est, iter instituit, vbi a *duabus Familiis, iisdemque spectatissimis*, primum quidem *Fingeriana*, postmodum et *Hübneriana*, tanta exceptus est comitate, vt virtutis desiderio in erudienda prole facile annueret; ex quibus *scholis priuatis in publicam* posthaec est euocatus. Cognita enim *Viri* eruditione, et in instruenda iuuentute industria atque solertia, *sorauientes* NOSTRVM primo *Conrecloris*, post tres inde annos, *Recloris* munere condecorauit. Quibus officiis per *quinquennium*, ab anno nimirum *1696*, vsque ad annum *1699*, ea fide discipulum curauit emolumenta, vt non ciuium solum illius loci communem sibi promeruerit amorem: sed patriae etiam nominis famam hac re tantopere commendauerat, vt de reuocando HENCKELIO ad Musas suas iam serio cogitaret. Postquam enim obitus CL. CHRISTIANI HVBNERI, anno *1699*, Gymnasium Merseburgense, laboriosissimo *Conreclore* suo orbauerat, diuina fauente gratia effectum est, vt *Reuerendissimo ac serenissimo Principi et Domino MAVRITIO WILHELMO, episcopatus Merseburgensis postulat administratori, gloriose memoratae*, nemo ad hanc prouinciam obeundum, NOSTRO dignior videretur. Quam ipsarum clementissime sibi demandatam, dicto anno, ingrediebatur; idque eo lubentiori animo, quo aequius semper duxerat, *Patriae beneficae* prima quaeque deberi officiorum genera. Longius foret enarrare, quo felici successu in ambuendis adolescentum animis *per viginti*, et quod excurrit, *annos*, laborem sudoremque in hac statione continuauerit: vtramque concessisse videbimur paginam, si vel tribus verbis id commemoramus, NOSTRVM in locum *Praeclarissimi M. ERDMANNI VHSSEI, Gymnasiae Recloris*, antequam ad tranquilliorum in coelis delatus est, vitam, *longe meritissimi, a Reuerendissimo Capitulo*, per suffragia A. *1699*, suffectum fuisse. Isque honorum gradus est, quem ad vitae vique finem, summa cum laude, vt obtinuerat, pro viribus quoque tuebatur.

Inter concatenatos autem labores domesticos quoque commode fieri ratus, haberetque quicum curarum molem diuideret; foedere id coniugali commode fieri ratus,

animum simul ad matrimonium appulit. *Virginem virtutum morumque praestantia insignem*, IVSTINAM SOPHIAM, *Viri spectatissimi* AVGVSTI HOSSEI, in vrbe vicina Halensi *Senatoris* auctorisque artificiosissimi, et ANNAE MAGDALENAE NIEDNERIAE, tunc temporis coelitis iam adscriptae, *filiam*, MARIAE DOROTHEAE KIRCHHEIMIAE, *Matronae ornatissimae*, adhuc superstitis *priuginam*, tori sociam NOSTER elegerat, cum quae matrimonium in vrbe Halensi, die XXVII. Aug. An. clō ccviii. solemni ritu concelebrauit. Ex auctatissimo hoc coniugio *quatuor* haec amoris pignora prodierunt, GOTTHILF LEBRECHT, FRIEDERICVS ERDMANNVS, DOROTHEA SOPHIA, et CHRISTIANA SOPHIA; e quibus et *prior filius*, optime spei iuuenis, vndeuegimum inter studia dum agebat annum, et *duo* ordine sequentes, *natus nataque* in tenerrima aetate, viuere desierunt. Vnica filia natu minor, CHRISTIANA SOPHIA, anno superiore, cum Gymnasi nostri Conrectore, M. BALTHASARE HOFFMANNO, nuptias celebravit, quae nono die post Patris desideratissimi mortem, filiolam, CHRISTIANAM SOPHIAM, enixa est.

Prosperis aequae ac aduersis HENCKELII *nostri* fati, quam fieri potuit, breuiter perspectis, superest, quo ductum abfoluamus filum, vt de fato *Eius* vitimo mentionem denique faciamus. Die XVI. Iunii, hoc ipso anno, in atrio ambulans NOSTER, negotiis domesticis occupatus, tum pede altero retrocedit, nescio quid euitaturus, vestigio fallente corruit titubans *Senex*; quo ex lapsu circa dextri lateris coxam tam acutos statim sentiebat dolores, vt neque stare, nedum gressum mouere liceret. Manu Chirurgi opitulante, consilioque experientissimorum Medicorum tempestiue adhibito, eo magis medela sperabatur, quo minus signum aliquod vel fracti, vel fissi, vel alia ratione laesi ossis apparebat. Sed tota corporis machina eo lapsu turbata, concussa et e fede sua quasi mota, interitum minari videbatur. Morbus enim morbum, malumque malum, mira Symptomatum varietate, comitabatur, ingrauescentique indies virium debilitas, omnem profus artem eludere, quid? quod natura fe ipsa deserere tandem videbatur. Mortalitatit itaque, vti per omnem aetatem, ita nunc in primis, fragilisque corporis memor, *Immortalitatem* laeto constantique animo et ponderabat, et expectabat, hoc ipso solatio fe ipse erigens: Fore, vt solutus corporis vinculis, mox fidei speique suae, in Christi vulneribus fixae, fructum consequeretur: quem etiam die I. Nou. huius anni clō ccxxxix. circa horam II. pomeridianam, beata morte consequutus est. Mortalitati interfuit annos LXVII. hebdomadas VI. et VI. dies.

Moeitissimo interim animo SVVM luget *Vxor*, luget *Nata*, luget *Gener*, lugent *Fratres*, praeter duo, quos supra honorifice compellauimus, et tertius, IO. ANDREAS, Medicus vrbis nostrae percelebris; lugent *Sorores*, IOANNA ELISABETHA et CATHARINA MARGARETHA, castissimae Virgines, luget *Socrus*, luget reliqua *cognatorum* gens, lugent *Amici*, lugent *Collegae*, lugent *Discipuli*. Amilimus eheu! amilimus *amantissimum, eruditum, pium, modestum, concordem, integrum, piamque Virum*, cuius memoriam exemplumque serae posteritati commendaturae sunt ipsae Virtutes. Vt tamen et praefens intelligat aetas, quae quantaque nostra in *beate Defunctum* sit pietas, sequentes *Eximii Adolescentes* in scenam prodibunt, in Praeceptoris sui laudem peroraturi:

- I. *Io. Christian. Vjchmann*, Megamonran. Thur. de Musarum in hoc funere dolore. Carm. Teuton.
- II. *Tobias Gottlob Richter*, Parchwizenf. Siles. de impetrata post labores requie. Carm. lat.
- III. *Io. Gottfried Meßner*, Bethaniensf. ad Viadr. Siles. de praemiis fidi praepetoris in coelo expectandis. Carmin. Teuton.
- IV. *Gottlob Henric. de Doering*, Eques Misnic. de felicitate prouinciarum, quae eruditos alunt. Orat. latin.
- V. *Frieder. August. Richter*, Bitterfeldensf. de felici per aspera ad astra transitu. Carm. Teuton.
- VI. *Philipp. Christian. Förster*, Merseburg. de Doctore scholae cum belli duce comparando. Carm. lat.
- VII. *Wichmann Frieder. Schneider*, Luccau. Lusat. de industria Praeceptoris merito extollenda. Carm. Teuton.
- VIII. *Io. Daniel Mulert*, Burg-Kemmniz. Sax. de religione boni Praeceptoris. Carm. lat.
- IX. *Christoph. Transebel*, Braunsdorff. Thur. de Sempiterna Beati Senis memoria. Gracc. Carm.
- X. *Christoph. Bonnütz*, Nebrens. Thuring. de Indole boni Praeceptoris. Orat. latin.
- XI. *Samuel Henr. Glasewald*, Sonnenwald. Lusat. de optimo post fata monumento. Orat. Teuton.
- XII. *Io. Gottfr. August. Tjchorn*, Merseburg. de grato discipuli in Praeceptorem animo. Carm. lat.
- XIII. *Samuel Friedr. Schmidt*, Merseburg. de luctu Camaenarum. Carm. Teuton.
- XIV. *Io. Henric. Eugel*, Merseburg. de Martyrio scholastico. Orat. lat.
- XV. *Io. Christian Pauli*, St. Vlric. Thuring. de lapsu B. Defuncti non lapsi. Carm. Teut.
- XVI. *Io. Henric. Meusel*, Bündorff. Merseb. de meritis fidelis Doctōris. Carm. lat.
- XVII. *Georg. Andr. Prox*, Merseb. de prisca fide. Carm. Teuton.
- XVIII. *Io. Michael Barth*, Scudicenf. Misn. de felicitate Praeceptorum in scholis. Orat. latin.
- XIX. *Christian. Carol. Toberenz*, Merseb. de Praefantia B. Defuncti. Orat. Teuton.
- XX. *Paul. Erdm. Cbryjost. Kunad*, Merseb. de gratia Praeceptoris referenda. Carm. lat.
- XXI. *Ludou. Christian. Henr. Zippel*, Scudic. Misn. de luctu, laude, solatio in hoc funere. Oda Teut.

Haec autem omnia, tum demum valorem nanciscuntur atque splendorem, si testes habeant *Summos Patronos, Benignos Fautores, Ingenuos Amicos*, qui sua frequentia demonstrent, laudatorum virorum memoriam nectaedio, nec contentui esse, quamque plerique exoptant boni Nominis post fata famam, mortuis fe, dum viuunt, tribuere, vt, dum ipsi mortui erunt, a grata posteritate, et sibi aliquando retribuatur. Adeste itaque, Musisque fauete, submississime et officiosissime iterum iterumque rogati. P. P. Merseburg d. XXI. Decembr.

Anno clō ccxxxix.

MSA 335

W 78

Rko.

Ms A
335



Doc. FK
26 6240

AD
INTELLIGENDA PIETATIS TESTIMONIA,
SEMPITERNAE MEMORIAE,

VIRI
PRAENOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
DOCTISSIMI,

IO. SALOMONIS HENCKELII,

GYMNASII,
QVOD MERSEBVRGVM ORNAT, RECTORIS
OPTIME MERITI,

DIE I NOVEMBR. A. R. S. clocccxxxix. BEATE DEFVNCTI,
CONSECRATA,
D. XXII. DECEMR. POST SACRA POMERIDIANA

IN

AVDITORIO SVPERIORE

A QVIBVSDAM GYMNASII NOSTRI CIVIBVS
SOLVTA ET LIGATA DICTIONE
SOLEMNI RITV EXHIBENDA,

PATRONOS, FAVTORES, AMICOS,

QVA PAR EST,

ANIMI OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE

DECENTER INVITAT

M. BALTHASAR HOFFMANNVS,

CON-RECTOR.

